DE

MORBILLIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIX. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS BRUSCKY

BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

H. HEBERRER, MED. ET CHIR. DR.
F. QUENSTEDT, MED. ET CHIR. DD.
C. MAYER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, GENEROSISSIMO

CAROLO GUILELMO FOSS,

SUMMO QUAESTORI MILITARI REGIO, EQUITI ORDINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA ET AQUILAE RUBRAE IN CLASSE QUARTA ETC. ETC.

FAUTORI OPTIME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Morbilli, qui hac aestate Berolini grassabantur, me commoverunt, ut hoc de morbo dissertationem inauguralem conscriberem. Quae epidemia, quamvis etiam benignum prae se tulerit characterem, tamen permulta et decursu et exitu observatione dignissima praebuit. Mihi ipsi contigit, ut duce Ill. Osann saepius hunc, de quo scripsimus, morbum et observaverim et curaverim, ita ut nullus alius existat, quem tam saepe atque tam variis formis viderim. Errores, lector benevole, qui in hac dissertatiuncula tibi occurrent, benigne excuses quaeso, in memoriam revocans, primum esse tironis in arte nostra opusculum.

Medicorum scripta, quibus in dissertatiuncula elaboranda usus sum, haec fuere:

Kurt Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Heilkunde. Halle 1800.

J. F. K. Hecker, Geschichte der Heilkunde. Nach den Quellen bearbeitet. Berlin 1822.

Rhazes, Continens de variolis et morbillis.

Forest, (Pet.) Observat. et curation. medicinal. Francofurt. 1602.

Schenk, (Joann.) Observationes medicae, rarae, novae etc. Francofurt. 1640.

Riverius, (Luz.) Praxis medica. Lugdun. 1670.

Rosen von Rosenstein, (N.) Abhdlg. von den Masern. A. d. Schwed. Goetting. 1763.

Home, Grundriss der Arzneiwissenschaft. a. d. Englischen Leipzig 1771.

Wedekind, In Roeschlaub's Magazin Bd. 4.

Ziegler, Beobachtungen a. d. Arzneiwissenschaften Leipzg. 1788.

Heim, in Hufeland's Journal 1812 Maerz.

Aug. Gottl. Richter, Spezielle Therapie III. Auflg. Berl. 1821.

Meier, Annalen der gesammten Heilkunde 1825.

Thomassen a Thuessink, a. d. Hollaend. v. Vezin. Osnanabrück 1831.

Peter Frank, Behandlung der Krankheiten der Menschen. A. d. Latein. von Sobernheim. Berl. 1831.

Baumgaertner, K. H., Hdb. der spec. Kkhts. und Heilgslehre u. s. w. Stuttgardt und Leipzg. 1835.

C. W. Hufeland, Enchiridion medicum 1836.

Most, Encyclopaedie.

NONNULLA DE MORBILLORUM HISTORIA.

Non solum morbillorum nomen, quo significatur» kleine Pest,« sed etiam eorum descriptio cum variolis conjuncta, cui apud veteres, qui morbillos variolarum multo magis perniciosam speciem aestimabant, occurrimus, suspicari nos jubet, quem horrorem morbus, qui nostris temporibus plerumque omni periculo caret, iis, qui tunc erant, hominibus injecerit, quali furore genus humanum devastaverit. —

Utrum morbilli medicis Graecis veteribus innotuerint, non constat, imo ne verisimile quidem est, quum in libris Hippocraticis nullam hujus morbi mentionem invenias. Primi auctores, qui de hoc exanthemate loquuti sunt, medici fuere Arabici, inter quos Rhazes sub finem noni et initio decimi saeculi omnium excellentissimus perspicuam et claram morbillorum et variolarum descriptionem nobis reliquit. Ex Graecorum medicis Synesius saeculo undecimo primus fuit, qui versione operis Arabici Zad ol Mosafer i. e. viaticum Reisehandbuch, quo Abu Dschafar Achmed

ben Ibrahim doctrinam de cognoscendis curandisque morbis explicavit, morbillos commemorat. Quamvis etiam Abu Dschafar morbillos a variolis stricte non discernat, et de utriusque morbi signis promiscue loquatur, tamen nullum exstare potest dubium, exanthema illo in opere descriptum revera fuisse morbillos, nam, ut antea jam dixi, omnes veteres medici diversas tantum species ejusdem morbi variolas et morbillos habuerunt. Synesius utrique morbo nomen sine dubio prius jam usitatum *Λοιμικὴ* a *λοιμὸς* i. e. pestis, quo contagii ejus vis bene notatur, indidit et quidem variolis *φλυκταινούση λοιμικὴ* i. e. pestis cum phlyctaenis, morbillis vero *λεπτὴ καὶ πυκνὴ λοιμικὴ* i. e. pestis crebra et tenuis, quae epitheta ad exanthematis formam spectant. Auctor ille Graecus, qui saeculo decimo quarto Rhazis opera vertit, morbillos *εὐλογία* nominat, quae denominatio, ut ipse affirmat, ab antiquis Graecis scilicet Syriacis derivata est. Quando morbilli terras occidentales invaserint, haud magis constat. Saeculo demum decimo sexto et septimo in operibus, quae Forest, Schenk, Sennert, Riverius et alii nobis reliquerunt, descriptiones accuratiores, nulla vero momenta historica de temporibus, quae ante eos elapsa sunt, invenimus. Omnes, quos dixi, scriptores morbum, qui in diversis Europae regionibus illo tempore grassabatur, saevum et pestilentialem quasi describunt. Rosen ab Rosenstein superiori saeculo unius morbillorum epidemiae, quae 1753 Holmiae pestis instar permultos necabat homines, mentionem facit. Saepius etiam morbilli cum variolis uno eodemque tempore grassantes observati sunt, ita vero, ut corpora, quae morbillis corripiebantur, a variolis tuta ma-

nerent, quod affinitatem quandam utriusque morbi contagii probare videtur. Quum vero nostro tempore vaccinatione variolarum vis fracta sit, mihi quidem non ineptum videtur, contendere vim morbillosi contagii in individuis vaccinationi submissis etiam debilitari, ergo quoque nostro tempore morbillos plerumque benignos tantum apparere.

DEFINITIO ET DIVISIO MORBILLORUM:

Morbilli illud nominantur exanthema, quod contagio quodam provocatum una cum cute tunicam gastropulmonalem mucosam corripit et cognoscitur elatis maculis, initio discretis, mox vero confluentibus, quibus affectiones catarrhales et febriles antecedunt, easque per totum morbi decursum comitantur, quae denique maculae desquamatione furfuracea evanescunt.

Quamvis etiam morbilli rarissime tantum sporadice occurrant, sed plerumque epidemice appareant, divisio in morbillos sporadicos et epidemicos apud veteres auctores nobis obvenit. Majoris vero momenti sunt discrimina eorum secundum febris comitantis characterem in benignos et malignos, qui maligni iterum dividuntur in inflammatorios, nervosos et putridos. Denique nonnulli a morbillis veris spurios discernunt, quorum vero essentia ab aliis negatur.

DIAGNOSIS ET DECURSUS MORBILLORUM BENIGNORUM.

In morbillorum decursu medici stadium prodromorum et febrile, eruptionis et efflorescentiae, denique desquamationis distinguere solent.

Iisdem fere, quibus febris catarrhalis incipere solet, symptomatibus morbillorum quoque prima stadia, scilicet prodromorum et febrile, invadunt. Aegri aut primo tantum die aut per octo atque plures dies horripilationibus et frigore, immixtis calore et sudoribus, cruciantur. Mox vero febris sese manifestius prodit vehementi cum aegritudine, magna siti, lingua alba sed humida, appetitu prostrato, tussi sicca et brevi, quae adeo est characteristica, ut Heimius morbillos tussi sola cognoverit; capitis dolores aegrotos infestant, fauces ardent, pectus constringitur, respiratio fit frequentissima, vel etiam suspiriosa, oculi rubent et illacrymant, lucem ita perhorrescunt, ut aperiri vix queant. E naribus tenuis acerque humor stillat, crebras sternutationes excitans; haud raro accidit, ut sanguis abunde e naribus manet, quo oculorum capitisque dolores valde levantur. Febris ipsa vespertino tempore exarcerbatur, quae exarcerbationes usque ad exanthematis eruptionem augentur, et saepe tantum nanciscuntur vim, ut adultis deliria, infantibus vero convulsiones efficere possint. Interdum status gastricus, vomitus aut diarrhoea, quod quidem saepius in variolis evenit, in morbillis quoque animadvertitur. Quod ad hujus stadii tempus attinet, tres quatuorve dies plerisque in casibus sufficiunt, tamen non desunt exempla, ubi per octo dies, imo plures per hebdomades aegroti hoc in stadio versarentur. Saepius etiam hocce stadio totus morbus finitur, nam morbillis grassantibus, corpora febri cum omnibus febris morbillosae signis pathognomonicis interdum corripiuntur, quam vero exanthema ipsum non sequitur. Haec febris morbillosa, cujus Sydenhamus jam mentionem facit, secundum

ejus aliorumque auctorum observationes eandem, quam morbilli ipsi, tutelam praebere dicitur. Mihi ipsi contigit, ut duos casus animadverterim, ubi post febrem morbillosam vehementissimam infantibus, quorum fratres et sorores uno eodemque tempore morbillis laborarunt, exanthematis eruptio non supervenit.

Secundum Heimii observationes excellentissimas, quas in Hufelandii annalibus nobis reliquit, secundo morbi die in lingua, velo palatino, in larynge et trachea primum — deinde quarto die in aurium et nasi regione, tunc in tota facie et in manibus maculae parvae subrubrae, quae mox transeunt in rubriorem colorem, pullulant. Facies omnesque maculis jamjam obtectae partes sensim intumescunt, frequentiores profluunt lacrymae ex oculis photophobia affectis et valde inflammatis. Quinto die maculae in pectore, abdomine et brachiis, sexto denique in cruribus proveniunt. Non semper vero his temporis spatiis, imo modo prius modo tardius, maculae prorumpunt. Quum autem paullatim exanthema in diversis corporis regionibus appareat, saepe evenit, ut maculae, quae in cruribus adhuc florent, in ore jam pallescant. Quod ad macularum formam, irregularis est, aut rotunda aut ovalis, cujus peripheria, quum in marginibus color ruber, qui in media macula summum tenet gradum, pallescat, non stricte circumscripta est. In maculae centro, ubi teste Wedekindio semper unus prominet pilus, papula duriuscula cernitur, quae primo eruptionis die limpidum liquorem, mox autem resorptum, continet, ita ut cum scabiei vesiculis similitudo quaedam exstet. Quo magis maculae excoluntur, eo magis attollitur cutis, ut lentis oblique discisae formam obti-

neat et tactu percipiatur, qua forma sola Heimius morbillos a quovis alio exanthemate discrevit. A primo inde exordio maculae minimae sunt, mox vero earum circuitus augetur, ita, ut magnitudinem unius vel etiam trium linearum obtineant. Si omnino paucae tantum maculae proveniunt, nunquam aequabiliter per corporis superficiem diffusae sunt, sed in locis trium vel etiam octo pollicum congregatae, aut discretae aut confluentes, aliis locis ejusdem amplitudinis quoque macula destitutis. Raris etiam in casibus totum corpus, praecipue in adultis, maculis obtegitur, quae mox ita confluunt, ut exanthema primo adspectu a scarlatina vix discerni queat, tamen non est difficile, de exanthematis natura lucem sibi afferre, nam et papulae duriusculae et maculae elatae certissimum inter utrumque morbum praebent discrimen. Febris et affectiones catarrhales hoc in stadio levissimis tantum morbillis statim diminuuntur, plerumque autem omnia symptomata per viginti quatuor aut triginta horas, saepius quoque tres per dies post eruptionis initium, exacerbantur. Heimius ab eruptione usque ad desquamationem octo, quatuordecim usque ad viginti unum dies constituit. Post eruptionem perfectam, stadium intrat efflorescentiae; tempus, per quod viget, uti omnia hujus morbi stadia, non est certum; ex Richteri observationibus plerumque tribus diebus absolvitur. Eodem ordine, quo maculae provenerunt, iterum evanescunt, primum igitur in ore et facie, postremum in cruribus.

Simulac maculae corpus derelinquunt; stadium desquamationis apparet. Facies, pectus, artus et reliquae partes quasi farina conspersae videntur, frustulis ruptae

et siccatae epidermidis secedentibus, quae squamatim decidunt, pruritum ubique relinquentia, non vero labem aut vestigium ullum. Hoc processu tribus quatuorve diebus finito, affectiones catarrhales et febriles paullatim remittuntur, manifestis quidem crisibus, uti sudoribus, urina, raro etiam diarrhoea; illis in casibus, ubi affectus catarrhales peripneumoniam effecerunt, sputa quoque purulenta observantur. Non semper autem hae crises manifestae sunt, saepe morbus lysi, quae post perfectam desquamationem per octo aut quatuordecim dies durat, finitur. Rem revera ita se habere, facillime ex hisce colligere possumus! Accidit scilicet interdum, ut morbillis jam evanescentibus subito febris cum difficili spiritu tussique molestiori recrudescat, aut, nisi plane jam effugerit, augeatur, somnumque tam die, quam noctu procul arceat, quod hoc vel illo casu a metastasi seu morbillorum suppressione oriri potest. Frequentius tale malum recidivum repetendum est ab imperfecta materiae morbillosae ad cutem depositione, qua de causa reliquiae ejus ad pulmones delatae peripneumoniam facile excitant. Huic calamitati eos inprimis subjici censet Sydenhamus, qui regimine et remediis calefacientibus usi sunt, itaque sanguinem nimium exagitando effecerunt, quominus tota materies morbillosa secerni et ad cutem propelli posset. A reliquis hujusmodi materiae intus restitantibus non raro tussicula, febris lenta, alvi fluxus, exsiccationi morbillorum succedunt. Ab his tamen incommodis liberantur, et perfecte convalescunt, ut adnotat Tissot, qui in reliquo morbi decursu aut sub ejus finem notabilem aliquam evacuationem habuerint, uti vomitum, diarrhoeam inprimis biliosam, urinam, aut su-

dorem largum. Harum enim ope excretionum febris omnino solvitur, aeger vires recipit et perfecte sanatur. Haec hactenus de morbillorum benignorum diagnosi et decursu.

MORBILLI ANOMALI.

Morbillorum vero decursum modo descriptum aut causarum complicatio, aut major veneni vis, aetas, aut vitae genus, corporis constitutio, aut aliae conditiones vertere possunt in decursum periculosum, itaque in exitum lethalem. Hos, qui aberrant a consueto decursu, morbillos medici vocant anomalos et distinguunt: inflammatorios, nervosos, putridos et gastricos.

Morbillos inflammatorios ex inflammationis signis pathognomonicis facillime cognoscimus. Febris valde est vehemens cum pulsu duro, magno et pleno, tussi permolesta, gravi pectoris oppressione, faucium dolore et oculorum vehementissima inflammatione. Haud raro pleuritis vera et peripneumonia cum sputis cruentis et purulentis, et in infantibus angina quoque membranacea, qua aegri in summum adducuntur vitae periculum, accedunt. Exanthematis eruptio rapide fit et tumultuose, infantibus saepe convulsiones, adultis vero deliria una cum vehementissimis capitis doloribus superveniunt. Eruptione vero perfecta, febris minime diminuitur, imo saepius magis exacerbatur. Maculae ipsae rubriores et elatiores sunt. Epistaxis et haemorrhagiae ex vasis haemorrhoidalibus, quae et in infantibus et in adultis frequentes animadvertuntur, symptomatum vehementiam leniunt. In stadio desquamationis, quod, uti omne stadium in hac morbillorum forma, citius solito intrat, in-

flammationes recidivae, inprimis pneumoniae, quas crebro phthisis pulmonum sequitur, observantur.

Quod ad morbillos nervosos, pulmonum et tracheae signa inflammatoria in iis characterem vere inflammatorium non ferunt, sed magis spasmodice, vel etiam tussis convulsivae symptomata praebent. Reactio systematis arteriosi non est vehemens, imo pulsus parvus et frequens, facile comprimendus sentitur. Exanthema tardius efflorct, nonnullis tantum in locis prorumpit, mox pallescit, iterumque subito effugit. Magis vero magisque omnia febris nervosae signa animadvertuntur; lingua sicca muco tenaci atque fusco, qui etiam apparet in tota oris cavitate et in naribus, obtecta conspicitur. Ex Richteri vero observationibus lingua per totum morbi decursum, nisi gastrosis adsit, ubi etiam aphthae in ore, faucibus et tractu intestinali proveniunt, rubra manet. Mox quoque deliria, subsultus tendinum, carphologia et omnia reliqua febrem nervosam comitantia signa adveniunt. Crises plerumque imperfectae tantum, saepe cum affectibus nervosis iteratis, intrant; desquamatio vero in plerisque casibus omnino observari non potest.

Quae modo explicavi morbillorum nervosorum signa, iterum invenies in morbillis putridis, quibus adhuc adduntur febris vere putridae symptomata. Exanthematis color ex rubro coerulens est, et inter singulas maculas petechiae, ecchymomata, interdum quoque miliaria conspiciuntur. Sputa fusca, tenacia, sanguine soluto immixta ejiciuntur, excolitur pulmonum oppletionis major aut minor gradus, quae oppletio funestum est signum, plerumque lethale. Irruunt haemorrhagiae ex naribus, gingivis et utero, quae una cum diarrhoeis, pestiferum

secum ferentibus odorem, et sudoribus colliquativis magnam virium inanitionem mortemque adducunt.

Restat ut de morbillis gastricis nonnulla adjiciam; omnes, quos status gastricus provocare potest, affectus cum morbillis complicatos saepenumero observamus. Febris, qua haec morbi species stipatur, nervosum prae se ferre solet characterem. Tussis praecipue molesta atque acerrima est. Reliquae affectiones sunt gastroseos propria signa, unicuique satis nota.

Quas in medium protuli, morbillorum anomalias plerique autores commemorant probantque. Exstant vero duae adhuc morbi formae, quarum mentionem quidem faciunt auctores, de quarum autem vera existentia eorum opiniones discrepant, morbilli spurii et febris morbillosa.

Morbillos nominant spurios, qui varicellarum instar levi tantum, aut nulla febri conjuncti, affectionibus catarrhalibus destituti invadunt, per breve tantum tempus manent, sine desquamatione effugiunt, morbillis genuinis modo antecedunt, modo succedunt, itaque contra eos non praebent tutelam. (Vogel's Handbuch Bd. III. p. 203. — Metzger's Vermischte med. Schriften Bd. II. p. 167.) Huic formae opposita est febris, cujus supra jam mentionem feci, morbillosa.

CAUSAE.

Conditiones, quae morbum primum provocarint, aut semel provocatum iterum reducant, plane nobis ignotae sunt. Individua primis vitae annis ad hunc morbum praecipue vergunt, tamen vero adulti a contagii vi non sunt tuti, dispositio ad morbillos morbillis tantum ipsis

tollitur, quamvis exempla, idem individuum saepius exanthemate correptum esse probantia, minime desint, tamen morbilli reversi rarius, quam variolae regressae, saepius autem quam scarlatina repetita, observantur. Morbus contagio quodam, quod volatilius est, quam scarlatinae, variolarum et pestis venenum, diffunditur, quare etiam fit, ut rebus solidis non ita adhaereat inque alias regiones transferatur. Quin contagium, quod praecipue aëre atmosphaerico involutum est, ex aëris quoque constitutione quadam, cujus quidem natura et essentia nobis non innotuit, oriatur, dubitare non possumus, unde etiam fit, ut morbus huc vel illuc, minime vero sicut pestis aut variolae, domorum aut viarum ordinem sequens, individua ad morbum opportuna corripiat, raroque tantum sporadice, plerumque epidemice invadat. Sin autem morbi venenum aëris illa constitutione provocatum est, tunc praecipue in aegrorum se- et excretionibus, inprimis pulmonum et cutis quaerendum est, tamen experimenta docuerunt, totum fere organismum contagio quasi venenatum esse. Insitio scilicet morbillorum, exemplo a variolis ducto, tentata est. Home primus fuit, qui hoc experimentum instituit. Sanguine ex aliqua parte morbillis obsita per levem incisionem educto imbuitur gossypium, hoc vulnusculo, quod utrique brachio ejus, cui inserendi sunt morbilli, inflictum sit, imponitur et deligatur. Alii sanguinis loco lacrymas, salivam inserunt, alii cutis squamulis ab aegrorum corpore defluentibus, criseos inprimis tempore, utuntur, quibus omnibus modis contagium in sana corpora transferri dicitur.

PATHOGENIA.

Veteres medici, qui morbillos una cum variolis descripserunt, utrique morbo unam eandemque causam subesse censuere, non sine omni jure quidem, nam processus biochemici, qui veneno corpori insito efficiuntur, in utroque morbo revera fere iidem sunt, temperati tantum diversa veneni natura. Factores ad morbillos provocandos necessarii iidem, qui in variolis sunt, scilicet contagium, sanguis et systema nervorum. — Omnes vitae processus reactione inter nervorum et sanguinis systemata oriuntur, quae reactio si normalis est, sanitatem efficit, si res vero noxiae in organismum influunt, reactio illa normalis tollitur, morbusque procreatur, itaque ad morbum provocandum tres sunt necessarii factores, sanguis, nervi atque res quaedam noxia, quae in morbillis procreandis contagium est. Contagium per cutem, vel etiam respirationis via primo aut sanguinem— dein per sanguinem nervos — aut, quod mihi magis arridet, primo per easdem vias nervos — perque eos sanguinem male afficit, quod reactione organismi probari videtur, nam symptomata febrilia primae sunt affectiones, quae contagii invasionem sequuntur, ortae scilicet ex nervorum alienatorum cum sanguine morbosa reactione, qua deinde mox omnia morbillis propria signa, quorum caput exanthema est, existunt. In exanthematis eruptione et in crisibus sanguis autem praevalet, nam in morbillis nervosis et eruptio macularum et crises, quae in morbillis inflammatoriis rapide et tumultuose prorumpunt, imperfectae tantum intrant. Itaque ex mea sententia venenum organismo per nervos adducitur, san-

guine vero iterum expellitur. Sine nervis nullum oriri posse processum vitalem, nemo est, qui neget, tamen non possum, quin observationem vere dignam commemoratione, quam Gatti nobis reliquit, hic afferam. Observavit scilicet in homine hemiplegico et variolis correpto in sano tantum corporis latere exanthema efflorescere; quod procul dubio etiam factum esset, si morbilli illud individuum invasissent. Quod cute inprimis venenum excernitur, mirari non possumus, nam primo cutis velut organon purgatorium insigne nobis innotuit, tunc vero contagio, sicut medicamentis ad singula organa, ad cutem propria affinitas esse potest, ita ut sanguinis circulatione ad cutem delatum, hic praecipue processus morbosos, quibus etiam excernitur, procreat.

PROGNOSIS.

Jam ex iis, quae de morbi decursu atque exitu in medium protuli, elucet, morbillos complicationibus tantum et morbis secundariis periculum afferre. Morbilli benigni et in infantibus et in adultis omni periculo carent et feliciter cedunt, nisi decursus eorum mala curatione aut pravo regimine interrumpatur. Morbillos salutares interdum fieri posse, ego ipse observavi. Puella scilicet novem annos nata, scrophuloso instructa habitu jam ex primo vitae anno otorrhoea laborabat scrophulosa, quae remediis validissimis cedere noluerat et surditatem provocaverat, quae ex aëris constitutione exacerbationes et remissiones praebebat. Haec propter mala parentes ab hujus urbis policlinico quodam auxilium petierunt. Aegrota mihi curanda tradita per nonnullos menses remedia antiscrophulosa sine ullo eventu

sumsit. Paullo post morbillosae epidemiae eruptionem aegrota hujus morbi forma inflammatoria corripiebatur, qua vehementissimis capitis aurisque doloribus cruciabatur; initio morbi mucus ex aure copiosior, quam unquam antea, effluebat, mox vero omnino desinebat, et aegrota morbo finito non solum otorrhoea, sed etiam a surditate plane liberata est. Hujus sanationis causa sat est perspicua, nam, uti saepius singula tantum scrophulosis symptomata, non autem scrophulosis ipsa, remediis cedunt, sic etiam hoc in casu otorrhoea, partialis scrophulosis in tunica meatus auditorii externi depositio, inflammatione et crisibus, quas totum cutis systema et inprimis meatus auditorius, unde capitis aurisque dolores vehementissimi, perpessus est, tolli potuit. (Confer. dissertat. caput de morbis secundariis).

Prognosis a febris charactere omnino pendet, semper erit bona, si febris catarrhali tantum similis manet. Ad dubiam vel etiam malam prognosis vergit, cum febris hanc vel illam complicationem, praecipue vero putridam aut nervosam, petit. Individuis phthisico habitu praeditis morbilli praecipue propter pulmonum affectiones, quibus saepe tubercula cruda maturescunt, periculum afferunt. Quo major est morbillorum, qui prorumpunt, numerus, eo majus quoque est periculum. Si morbilli sine desquamatione celeriter evanescunt, aut interna petunt organa, semper malam augurari sinunt prognosin, nam si quoque mala accidentia subito non sequuntur, tamen periculosi morbi secundarii nunquam deerunt. Nunquam sunt boni ominis sudores primo jam in stadio largi atque assidui cum urinae retentione, nam in plerisque casibus convulsionum sunt prodromi. Si magna las-

situdo, et dolores artuum rheumatici exanthematis eruptioni diu antecedunt, morbilli etiam in malignum transire solent characterem. Quo tardius post febris invasionem exanthema ipsum prorumpit, eo melior, quo celerius, eo pejor fit prognosis; nec meliora pollicetur lenta et per vices rediens eruptio, quia naturae defectum atque irritos facultatis expultricis conatus ostendit. Malum habent praesagium maculae nimis rubrae, pejus vero nimis pallidae, sin autem lividum aut nigrum fere concipiunt colorem, mortem raro avertes. Triste quoque augurium apparebit, si eruptione jam ad finem vergente, aut jam exsiccata, febris aut affectiones catarrhales nimis vehementes perdurant. Pleraque individua in stadio desquamationis morte abripiuntur, praecipue secundo aut tertio vitae anno, et quidem complures pueri, quam puellae. Dentitio aut tussis convulsiva cum morbillis complicata mala praebent prognostica. In morbillis denique putridis maculae partium genitalium gangraenosae mortem nuntiant incipientem.

MORBI SECUNDARII.

Inter omnes, qui morbillis, aut malignis, aut prava curatione et aegrorum malo post desquamationem regimine turbatis succedunt, morbi frequentissimi sunt peripneumonia et tussis chronica, quorum uterque in individuis habitu instructis phthisico saepenumero phthisin provocat; quod peripneumonia fit, nisi plane resolvatur, imo in suppurationem terminetur, tussi vero chronica tuberculorum irritatione continua. Saepe quoque accidit, ut febris continua remittens post desquamationem remaneat, quae neglecta, aut transitu in morbum acu-

tum modo repente, modo lenta virium consumtione aegrotos occidit. Diarrhoea, quae saepe pertinax atque molesta post morbum finitum perdurat, transitu in dysenteriam, vel etiam in lienteriam, itaque virium consumtione, mortem arcessere potest. Glandularum tumores, ascites, anasarca, morbillos inprimis malignos sequi dicuntur, tamen raro tantum hi morbi secundarii observantur, nam Heimius noster, qui in tot morbillorum epidemiis excellentissimas collegit nobisque reliquit observationes, se nunquam hydropes post morbillos vidisse profitetur, saepe vero ulcera colli furunculis simillima, crustam lacteam et otorrhoeas (Confer. dissert. cap. de prognosi). Ophthalmia, quae interdum remanet, saepius in dacryocystoblennorrhoeam et haec in ulcera corneae transit.

CADAVERUM DISSECTIO.

In cadaverum sectione inflammationis laryngis, tracheae, bronchorum, pulmonum parenchymatis, pleurae et tractus intestinorum vestigia inveniuntur. Lieutaud omnes, quas modo dixi, organorum partes morbillis ipsis obtectas invenit. In iis, qui morbis secundariis defuncti sunt, individuis omnes, quas illi provocarunt, in diversis organis mutationes et alienationes conspiciuntur. Exulcerationes, hepatisationes in pulmonibus post morbillorum exitum in phthisin, aut peripneumoniam, concrementa polyposa in larynge et trachea in iis, qui angina membranacea mortui sunt, ulcera in tractu intestinali etc. etc. inveniuntur.

CURATIO.

In quaque morbillorum benignorum epidemia morbillos sine artis nostrae auxilio, natura tantum adjuvante, ad faustum perduci finem, imo saepins tam leves, tam faciles interdum esse, ut aegroti ne lectum quidem petant, experientia saepissime nos edocet. Duo vero sunt, uti in variolis, sic etiam in morbillis indicantia; respiciat scilicet medicus venenum et febrem. Jam supra demonstravi, morbillorum venenum non eruptione exanthematis sola corpus jam effugere, sed potius per totum morbi decursum excerni, quare summa adhibenda est cautela, ne veneni excretio, quae paullatim tantum fit, prava curatione, aut malo regimine interrumpatur. Igitur aegroti, ut Hufelandius suadet, per quatuordecim dies aestivo tempore, per tres vero hebdomades hieme, lectum relinquere non debent, ut semper ab omni refrigerio tuti sint aegri. sit assiduo temperatura cubiculi XV usque ad XVI° R., tamen respiciendum est, ne nimium in modum aegroti incalescant. Occlusis fenestris solis radii arceantur, ne oculi luce nimia irritentur. Jam ad singulorum stadiorum curationem procedamus.

Si in stadio febrili febris magis inflammatorium characterem prae se fert, modice tepida eademque semper, nunquam vero nimis calida temperatura adhibenda est, et diaeta antiphlogistica, blanda. Detur aegrotis aqua ex hordeo aut oryza, aut ex pane decocto, quae diluit, demulcet leviterque alit, eodem spectant fructus acido-dulces, uti pruna, cerasa, pyra, mala et similia, quae eo magis laudanda sunt, si aegroti laborant alvo tarda. Hoc regimen diaeteticum morbillis benignis

hoc in stadio plerumque sufficit. Iis tantum in casibus, ubi febris magnum inflammationis gradum tenet, una cum respirationis organorum magna irritatione, nitrum depuratum in decocto althaeae solutum, potionem Riveri, aut ammonium muriaticum cum tartaro stibiato, salia neutra, decocta mucilaginosa et infusa demulcentia in auxilium vocare possumus. Contra tussim spasmodicam, ergo nervosam, antispasmodicis, uti hyoscyamo, aqua laurocerasi, vel etiam opio et sinapismis utamur. Oculorum inflammatio lacte tepido, decocto malvae et mucilagine seminum cydoniorum cum aqua rosarum leniri quidem sed non removeri potest, quum sit uti etiam tussis pathognomonicum. Hoc temporis momentum Hufelandius aptissimum esse dicit, ad complicationes et irritamenta noxia arcenda, uti sordes primarum viarum et praecipue, quae haud raro tunc intrat, peripneumoniam. Si revera signa peripneumoniae animadvertuntur, in individuis robustis et plethoricis adultis venaesectione, in infantibus vero hirudinibus sanguis usque ad symptomatum remissionem mitti debet. Alvus praeter modum compressa, aut si ex aliquot jam diebus nihil dejecit, lenibus eccoproticis, uti manna, tamarindorum fructibus, tinctura rhei aquosa, aut clysmatibus laxanda est.

In stadio eruptionis et efflorescentiae eandem rationem in aegris curandis continuemus, semper respicientes pectoris organa. In maximum aegroti adduci possunt periculum, si exanthema aut refrigerio, aut animi affectionibus, aut vitiis diaeteticis corporis superficiem fugit et interna organa petit, tunc summa ope eo enitendum est, ut morbillos iterum ad corporis superficiem eliciamus, aut si hoc fieri nequit, crisin per cutem

adjuvemus. Si post exanthematis regressum symptomata mali ominis non animadvertuntur, sed excretiones criticae, uti sudores, urina aut modica diarrhoea intrant, tunc natura ipsa organismum in integrum restituit, et aegroto nil opus est, nisi regimen diaphoreticum. Saepius vero post morbillorum regressum organa primaria, uti cerebrum ejusque tunicae, pulmones et tractus intestinalis inflammantur, magna cum febri, deliriis aut convulsionibus. Hanc inflammationem metastaticam quam celerrime depugnandi prima est indicatio et praecipua, quam ad rem pertinent sanguinis detractiones, nitrum, calomelas aliaque remedia antiphlogistica, dein sinapismi et vesicatoria, inunctiones olei crotonis, unguenti e tartaro stibiato ad loca affecta. Si inflammationum fracta est vis, tunc fausto cum eventu remedia diaphoretica dantur, quem ad finem Hufelandius inprimis camphoram cum nitro laudat. Si denique aegrotus post exanthema regressum summo virium inanitionis gradu corripitur, spasmis et convulsionibus torquetur, tunc remedia diaphoretico-antispasmodica, uti camphora cum spiritu Mindereri, liquor cornu cervi succ., moschus, opium, sinapismi et inprimis balnea modice calida, in auxilium vocanda sunt.

Quod attinet ad stadium desquamationis ab omni, ut saepe putant, periculo aegroti minime liberati sunt, imo maximum praebet periculum, nisi summa cum cautela ab omni refrigerio aliisve causis noxiis aegroti defendantur, quia hoc in stadio, ut jam supra commemoravi, crises incipiunt et sensim sensimque in lysin transeunt. Regimen igitur diaphoreticum proxima cum circumspectione adhiberi debet, quem ad finem Rich-

ter nonnullas doses ammonii acetici interdum sumendas suadet. Sed non solum cute, verum etiam aliis viis, e. g. renibus, alvo, acrimoniam morbillosam ex organismo natura pellere studet, quare aucta urinae secretio, et diarrhoea animadvertitur, quae, nisi modum excedit, omnino non est coercenda, quum morbus hoc modo faustissimo cum eventu finiatur.

Restat, ut de morbillorum malignorum curatione nonnulla adjiciam et primum illorum, qui inflammatorio cum charactere invadunt. Inflammatorii illi sunt morbilli, quorum febris omnia synochae signa pathognomonica prae se fert, uti pulsum durum, validum, plenum cum magna pectoris oppressione, tussi vehementi, magna oculorum atque organorum respirationi inservientium inflammatione. Si haec signa adsunt, apparatus antiphlogisticus statim afferendus est, inprimis autem sanguinis pro virium ratione detractiones, quae usque ad symptomatum remissionem iterandae sunt. Infantibus hirudinum applicatio sufficit, adultis vero venaesectiones tantum auxilium afferre possunt. Pulmonum debilis constitutio, habitus phthisicus, sanguinis missiones multo magis indicant. Sydenhamus in infantibus quoque venaesectiones instituit earumque administrationem commendat, tamen hirudines propter nimiam sanguinis, quae detrahi possit, copiam semper sunt praeferendae. Post sanguinis missionem alia remedia antiphlogistica adhibere possumus, quorum optimum semper erit ammonium muriaticum; acida vegetabilia et nitrum minus propter pulmonum irritationem apta sunt. Clysmata cum oxymelie squillitico adhuc laudata sunt. Inflammationis vi fracta, morbilli, benignorum instar curentur.

Complicatio morbillorum cum febri nervosa eandem, quam febris nervosa ipsa, respectu vero morbi primarii habito, poscit curationem. Primo et secundo morbi in stadio remedia valde excitantia non sunt laudanda, eorumque usus, inprimis si affectiones inflammatoriae cum nervosis conjunctae adsunt, maximum afferre potest periculum. Contra tales inflammationes topicas, ubi propter statum nervosum sanguinis detractiones institui non debent, praeter omnia alia fausto cum eventu rubefacientia et vesicatoria pugnabunt, quibus etiam inunctiones linimentorum volatilium adnumerandae sunt. Tertio vero et quarto in stadio medicamina excitantia magis jam apta sunt, uti Valeriana, Serpentaria, Senega, inprimis Camphora et in gravissimis casibus Moschus, Castoreum et tunc praecipue Opium, si tussis permolesta spastica et pervigilia aegrotos vexant; Vinum vero, Acida et Naphtha ab aegris non bene feruntur. A refrigerio et cubiculi temperaturae mutatione aeger ut tutus sit iterum iterumque imperari oportet, nam hac praecipue morbillorum complicatione saepe ex levissimis causis periculosissimas metastases medici observant.

Morbilli putridi, qui, ut supra demonstravimus, nihil aliud sunt, nisi complicatio morbi cum febri putrida, etiam febris putridae curationem exigunt. Haemorrhagiae ex naribus colliquativae, quas haec morbillorum forma secum ferre solet, praecipue omnem medici attentionem et artem postulant, quibus summa cum pertinacia saepe resistunt. Adstringentibus igitur externe et interne adhibitis eas quam celerrime ut supprimamus, niti debemus. Remedia, quae hunc ad finem laudantur, sunt alumen, Acidum phosphoricum, Catechu, si hisce reme-

diis haemorrhagiae non cedunt, nares et choannes spongiis obturare licet. Praeter haec jam in medium prolata medicamenta China et acida mineralia indicata sunt. In infantibus praecipue Extractum chinae a medicis laudatur. Si vero Acidis mineralibus uti volumus, necesse est, valde diluantur et mucilaginosis et demulcentibus insolvantur remediis, ne organa respiratoria incitent, tussimque augeant.

Jam gradum facio ad morbillorum, quos dicunt gastricos, curationem. Cavendum est, ne initio morbi quodque symptoma gastricum, uti linguam obtectam, nauseam, vel etiam vomitum, pro complicatione gastrica habeamus, nam saepenumero tales affectiones gastricae nil aliud sunt, nisi reactio ventriculi in contagium. Si autem revera adest complicatio gastrica, quam cognoscimus ex vehementissimis capitis doloribus, anxietate permolesta praecordiorum, sicca et cruciante tussi, caeterisque, quae jam supra in descriptione hujus morbi formae explicavimus, signis, tunc remedia evacuantia indicata sunt, aut emetica, si sordes sursum, aut eccoprotica, si deorsum turgent, tamen vero semper emetica praeferenda sunt, quia scilicet crisin per cutem adjuvant, sordes celerrime removent, omniaque reliqua symptomata, uti tussim et anxietatem praecordiorum cum capitis doloribus vehementissimis mitigant et exanthematis eruptionem accelerant. Iis tantum in casibus, ubi nullum exstat dubium quin sordes revera deorsum turgeant, eccoprotica adhibere debemus, quae semper derivatione per tractum intestinalem crisin per cutem et exanthematis eruptionem maxime necessariam retardant. Aptissima hunc ad finem remedia sunt Manna, sal Sedlitzense, Pulpa tamarindorum, Kali aceticum aliaque.

PROPHYLAXIS.

Jam supra morbillorum insitionis et modi, quo a diversis medicis instituta sit, mentionem fecimus. Haec insitionis experimenta, quamvis etiam saepius bono cum eventu instituta sint, perpaucos tantum sectatores invenerunt. Illis tantum in casibus, ubi malignae epidemiae invadunt, morbillorum insitio fortasse idem, quod vaccinatio, commodum atque tutelam praebere potest, quae in benignis vero epidemiis omnino rejicienda est, nam affectiones genuini morbi tunc non multo molestiores, imo saepius mitiores sunt, quam reactio post contagii insitionem. Commendant quidem medici aegrotorum a sanis segregationem, prophylaxin, quae, si accuratius perspicitur, certe ridicula est, nam ubi propensio ad hunc morbum individuis non deest, separatio ab aegris nil efficere potest, nisi etiam aër atmosphaericus, quo vero nullum carere potest individuum, ab iis arceatur. Si vero opportunitas deest, tunc etiam non refert, ubi sani versentur, ego ipse in praxi pauperum infantes morbillis infectos per totum morbi decursum cum sanis in uno lecto sine ullo damno dormientes saepenumero vidi. Saepius etiam parentibus commendavi, ut sanos cum aegrotis lecto conjungerent, nam illis in casibus, ubi sanos morbillorum contagium invadebat, revera propter morbillorum benignitatem atque eorum contra epidemias, quae alio tempore apparere possent, malignas vim tuendi, optimum erat prophylacticum. Fumigationibus denique muriaticis, sicut contra omnes febres contagiosas, contra morbillos quoque uti possumus, quae vero, simulac affectiones catarrhales exacerbantur, statim suspendi debent.

VITA.

Custrini XXV. die mens. Februarii anno MDCCCXV. ego Augustus Rudolphus Erdmannus Bruscky, patre Augusto, rei frumentariae praefecto regio, matre Henrica de gente Stengel, quibus parentibus salvis pio animo laetor, natus et confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis Berolini in gymnasio Joachimico imbutus frequentavi scholam Rathnoviensem superiorem, gymnasium Brandenburgense, denique vero gymnasium Sundense, quod directore Cel. Nizze per longam annorum seriem adhuc floreat. Deinde a. MDCCCXXXIV. testimonio maturitatis instructus inter cives receptus sum Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani et per quadriennium hasce virorum Ill. et Cel. audivi lectiones:

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali et botanice; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Mueller de anatomia universa, de anatomia sensuum et de physiologia; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia et syndesmolo-

gia, qui viri etiam cadaveribus rite secandis me erudiverunt; Ill. Fr. **Hufeland** de pathologia generali, semiotice et therapia tam generali quam speciali; Cel. **Eck** de physiologia; Ill. **Horn** de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. **Hecker** de encyclopaedia medica, de pathologia et therapia speciali, de Celsi libris et de historia medica; Ill. **Osann** de materia medica; Cel. **Casper** de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Cel. **Kluge** de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. **Juengken** de chirurgia speciali, de ophthalmiatrice et de akiurgia; Cel. **Froriep** de anatomia chirurgica et de akiurgia.

Postremo scholis clinicis interfui medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis et medico-forensibus virorum Ill. et Cel. **Wolff jun.**, Beat. **Bartels**, **Osann**, **Rust**, **de Graefe**, **Dieffenbach**, **Juengken**, **Wagner**, **Kluge**.

Maximas omnibus hisce viris gratias ago.

Jam vero tentaminibus tam philosophico, quam medico et examine rigoroso coram medicorum ordine gratioso rite absolutis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Blennorrhoea syphilitica non existit.
2. Mercurius in curandis morbis syphiliticis semper curationi antiphlogisticae praeferendus est.
3. Delirium tremens non vetat venaesectionem.
4. Libelli medici populares, qui dicuntur, magis nocent, quam prosunt.